DE

CULICIS AUCTORE

SCRIPSIT

EUGENIUS VITRANO

PANORMI

MCMIII

Panormi—ex officina I. Virzì.

IACOBO GIRI

DOCTISSIMO CLARISSIMOQUE MAGISTRO

PERGRATO ANIMO DICAT

EUGENIUS VITRANO

PRAEFATIO

Cum de *Culice* complures libri, iique plerumque discordes inter se, his temporibus proditi essent, quaerendum esse visum est, quid esset, cur in tam varias atque inter sese contrarias opiniones docti quidem homines se adduxissent.

Culicem enim alii laudant, alii contemnunt, hi mediocri ineptoque poetae, illi Vergilio tribuunt; sunt etiam qui unum velint poetam carminis auctorem, sunt qui plures.

Vix est quod moneam, me in hoc obscuro disputandi genere iis usum esse scriptis, quae apud Germanos permulta edita sunt, quaeque apud Britannos, apud Gallos, apud nos in claris, quas vo-

cant, ephemeridibus leguntur; sed me omnia legere potuisse, quamquam iam dudum in hac disputatione operam, ut videtur, diligenter posui, multum abest ut credam.

Videbimus igitur quibus argumentis rationibusque adhuc usi sint docti, cum aut Vergilio aut nescio cui inepto poetae *Culicem* tribuissent. Eorum pro viribus iudicium ita faciemus, ut, in utramque partem disputantes, adversariis hoc opponentes id concedentes, controversiam minus intricatam efficere possimus.

Controversiam fortasse non diiudicabimus. Quid mirum ? fuerunt semper quaedam, in hoc disputationis genere, quae in controversia relinqui fuerit necesse; nos autem, si argumentis confirmaverimus, in hanc summam virorum doctissimorum dissentionem eos, qui haec subtilius disputaverunt, nihil aliud firmius neque attulisse, neque fortasse afferre posse, nisi se ipsos, suum iudicium, suam tantummodo auctoritatem, sperabimus fore ut docti in veri simili quadam sententia consentiant. Hoc est in votis.

I.

Si antiquitatis litterarum monumenta persequemur, complura testimonia inveniemus, quae pro *Culice* dicant Vergiliano (1), in his Lucani, Statii, Martialis verba maximam habent auctoritatem. Quod, si plerique docti, antiquitatis testimonia persequentes, quae ad appendicem, ut aiunt, Vergilianam pertinent, ea infirmant, et *Aetnam Cirim Priapeia Epigrammata*—recte, ut opinor, et iure—Vergilio tribui posse negant; cum autem illi de *Culice* idem sentiunt, cuius poematis vetustissima testimonia, eademque firmissima accepimus, iniuste ac forte temere agunt. (2)

---

(1) Eorum omnium mentionem hoc loco facere supervacaneum puto, cum apud omnes, qui ea diligenter persecuti sunt, facile inveniantur. V. praecipue:—*Poetae latini minores* (rec. et em. AE. BAEHRENS) Lipsiae. MDCCCLXXX. II, p. 3-4; 25-26; — *Studien auf dem Gebiete der römischen Poesie und Metrick* von Dr. R. HILDEBRANDT. Leipzig. 1887. I. p. 1-4;—*Culex carmen Vergilio ascriptum* (rec. et enar. FR. LEO) Berolini MDCCCXCI. p. 15-19. Ceterum cf. TEUFFEL-SCHWABE. *Geschichte der römischen literatur*. Leipzig. 1890. I, §§ 229-230.

(2) Omnium audacissimus nobis videtur AD. FOERSTER (v. *Ueber die Echteit des Virgilischen Culex und einige Textverbesserungen*. Stralsund. 1877), qui — ex hoc, quod Ovidius et Propertius reliquorum Vergilii carminum mentionem fecerunt, *Culicis* non fecerunt—negavit scripsisse umquam hoc carmen Vergilium.

Namque quod obiciunt (1) — historiae fundamentum, quo Vergiliana appendix nitatur, scriptis Suetonii, Donati, Servii respondere (quos quidem homines in historia diligentes nemo sit quin vocet), ob eamque rem falsa omnia appendicis carmina esse habenda—id nullam plane, ut reor, habet vim, quod attinet ad *Culicem.*

Hoc spero fore perspicuum, si, quae Martialis duobus locis dixit legentur:

VIII. 56. 19. *Protinus Italiam concepit et arma virumque*
Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.

XIV. 185. *Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,*
Ne nucibus positis, arma virumque legas.

Ex quibus, *Culicis* editiones singulas fuisse iam Martialis temporibus, neque hunc, quin *Culicem* Vergilius scripsisset, dubitavisse, facile intellegitur. (2) Sed hoc fieri potuisse negarunt, nec cunctati sunt adfirmare, totam syllogen, ut aiunt, a Martiali designatam esse iis versiculis, vel quod *Culex* totius sylloges fuisset « pars principalis », vel quod hoc nomine tota esset sylloge inscripta. (3).

---

(1) Ex multis unum, ne longus sim, nomino : M. SONNTAG— *Ueber die « Appendix vergiliana »* Frankfurt a. O. 1887; praeterea : *Berliner philologische Wochenschrift* 1888. 8. p. 714, sq.

(2) Hoc idem sensit TEUFFELIUS (l. s. § 230. 1)

(3) Ita : BAEHRENTIUS (l. s. p. 26); SONNTAGIUS, in eo libro qui inscribitur « *Vergil als bukolischer Dichter* (Frank. a. O. 1892)— Scio equidem esse nonnullos libros apud nos, potissimum fabularum, qui quamquam complura continent, una ex re tamen, scriptoris arbitrio, inscribuntur; sed hoc rogo : possidemusne exempla,

At quale argumentum attulerunt, quo rem ita se habuisse demonstraretur? (1)

Alii vero, cum id impugnare difficillimum esse intellexissent, simulque carmen Vergilio tribuere noluissent, minima quaeque animadverterunt (2): cumque Martialis, item Statius, locis quibusdam *Batrachomyomochiam* Homero tribuissent, id quod vox quaedam illius aetatis recte fieri negaverat, utriusque scriptoris fidem infirmaverunt. Sed haec, quae speciosius quam verius obiciuntur, nobis quidem non talia videntur, ut nos deterreant, ne *Culicem* Vergilio tribuamus. Servabant enim Romani pie inviolateque Homeri memoriam, cuius nomen iam posteritati, cum *Iliade* et *Odyssea*, tum compluribus aliis carminibus, in his *Batrachomyomachia*, proditum erat; neque Martialis, neque Statius, nec quisquam Romanus — quippe qui « antiquitatis scientiam » quam dicunt, nondum invenisset—aliter de *Batra-*

---

generis eiusdem, quae ab antiquis scriptoribus nobis tradita sint?— Quod ad operum inscriptiones attinet apud veteres scriptore, cf. *L'Iliade commentata da* C. O. ZURETTI. I. Torino 1896, p. 2.

(1) « De appendicis Vergilianae historia et fatis » via et ratione disputavit his diebus FRIDERICUS LEO (l. s. pg. 17-20); qui, cum omnia antiquitatis testimonia inspexisset, acute conclusit, neminem posse ex iis firmum argumentum ducere, quo, eorum—quae vulgo Vergilio tribuerentur — carminum integram quandam syllogen antiquis temporibus extitisse, adfirmaret.

(2) V. BAUR.—*Ist der uns überlieferte Culex ein Jugengedichte des Vergilius?* (in *Jahrbücher für Philologie und Pädagogic*. 93. pg. 359 sq.) Praeterea: SCHENKL—*Einige Ergänzungen* (in *Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien*, 1867. pg. 775 sq.) Hic iisdem fere rationibus Suetonianum quoque testimonium infirmavit; sed HILDEBRANDTIUS cum utroque—ut ita dicam—iam decertavit (l. s. p. 22) et—ut in eodem simili verser—victor discessit.

chomyomachia sentire poterant. Sed incredibile dictu est Lucanum, Martialem, Statium—ut qui Vergilii fuissent studiosissimi—cum *Culicem* putassent Vergilianum, crassa Minerva, ut aiunt, fefellisse, neque vera et falsa diiudicasse.

Quibus rebus expositis, satis docuisse videor antiquitatis documenta de *Culice* non esse infitianda ; nunc quo anno hoc, quod habemus, carmen scriptum sit, videamus.

II.

In Donatiana vita Vergilii, loco quodam scriptum videmus: *deinde* (fecit) *catalecton et priapeia et epigrammata et diras; item culicem cum esset annorum XVI.* (1) Sed primus Oudinius, (2) deinde complures, cum hos Statii de Lucano versiculos animadvertissent: (3)

> *haec* (Pharsaliam) *primo iuvenis canes sub aevo*
> *ante annos culicis maroniani,*

XXVI non XVI apud eum grammaticum legendum esse coniectura assecuti sunt. Quod nemini probabitur, qui consideraverit quantum intersit inter *Culicem* et *Bucolica*, quae mirum in modum, si res ita se haberet, perpaucis post annis scripsisset Vergilius, velut annum agens undetricesimum (4).

---

(1) SCALIGER, NAEKIUS, TEUFFELIUS, HEYNIUS, LEDERER, HILDEBRANDTIUS huic testi plus minusve fidem tribuerunt.

(2) *Disputatio de Culice Vergiliano* (in *Misc. Obss. eritt. nov.* Paris. 1820. t. IV. p. 307.)

(3) *Silv.* II. 7. 73-74.

(4) Hoc quidem senserat RIBBECKIUS, in priore editione de Vergilii carminibus (« numquam credo... poema... eiusdem ho-

Quam ob rem nonnulli docti homines, cum recte—ut opinor—consideravissent, Donati vitam ex variis fontibus fluxisse, neque ad fidem historiae esse narratam, alii aliis nixi argumentis, (1) quemadmodum *Culicem* aut certum aut falsum conati sunt demonstrare, ita in diversas adducti sunt sententias, quo tempore idem carmen scriptum esset. Sed hoc a Vergilii aetate non esse removendum, existimavit ipse Leo (l. s. p. 16); qui, quamquam longe aliter sensit ac nos, haec tamen scripsit: « *immo quid sentiam si dicendum est, non multo post Vergili mortem carmen scriptum esse iudico et, si per exordium licet, ante mortem Augusti.* »

Hic vero exponam quid sentiam ; sed iam nunc hoc praedicam, a me, versus 25-36, ut serius ostendam, haberi interiectos ab eo, qui extremam manum operi imposuerit. (2)

Qui convenit Statii cum Donati (sive Suetonii, si videtur) sententia? (v. p. 11.) Primum animadvertendum est, noluisse Statium neque ad historiam litterarum latinarum se conferre, neque, cum plurima scripsisset, ea temporum ordine servato narrare. Idem contra, cum aliquid scribit, exsurgit altius, cum de viris quibusdam loquitur, illos summo colore illustrat; quodcumque laudat in maius extollit.

---

minis esse, qui duobus post elegantissimis idylliis novam poesis latinae quasi aetatem auspicatus est »); *Culicem* tamen Vergilio tribuendum censuerat: (« Testimonia, quamvis talia non sint, ut dubitandi de origine poematis nostri vias omnes praecludant, tamen nisi gravissimis argumentis evincatur, non posse Vergilium eius auctorem esse, memoriae antiquae facilius quam recentiorum coniecturis fidem habebo »); sed postea, BAEHRENSIO obsecutus, de sua sententia decessit. (V. *Appendix vergiliana*, *Prolegg.* Leipzig. 1895).

(1) De hoc alias pluribus pg. 15 sqq.

(2) Cf. p. 38 sq.

Tantum abest, ut suis versibus vitam alicuius exponere possit! Quid mirum igitur, si maximis laudibus effert Lucanum, qui—ut traditum est—vix quartum decimum annum agens, latine et graece carmina sua pronuntiabat?

Illi qui—syllabarum auceps—ad litteram Statium intellegere voluerit, minime repugnabimus; nos ex Statii versiculis haec intellegemus: Lucanum, admodum adulescentem, priusquam Vergilium, versus facere coepisse. Quod plane erit perspicuum, si meminerimus Vergilium, cum primum Romam venisset, anno LIII a. Chr. n., tum decem et septem annos vixisse. Hoc anno existimo a Vergilio *Culicem* scriptum esse, cum is apud Epidium, ut narrant, Octavium condiscipulum cognovisset, undecim tunc annos natum. (1)

Quod si obiciunt ad Octavium tunc iuniorem veri simile non esse ut carmen missum sit, id veri simillimum esse hoc loco conabor demonstrare. Constat enim Octavium, patre orbatum, in Caesaris tutelam venisse, cum puer esset quattuor annorum. Eius ingenii usque ab eo tempore magna fuit exspectatio, (2) siquidem a Caesare primum ma-

---

(1) Fortasse ne unus quidem vir doctus, ex omnibus, qui *Culicem* negaverunt esse Vergilianum, eodem anno, quo alii, scriptum putavit. Immo, si nonnullas eorum sententias persequemur, *Culicis* aetatem fluctuantem videbimus in quingentis annis!

LEO	enim	*Culicem* scriptum putavit	ante mortem Augusti;
HERTZBERGIUS	»	»	intra Ovidii et Persii aetatem;
BAEHRENSIUS	»	»	Claudio imperatore;
SILLIGIUS	»	»	ad finem primi saeculi, quod dicunt;
LIVERANIUS	»	»	intra Suetonii et Nonii aetatem;
OUDINIUS	»	»	Trasamundi, Vandalorum regis, temporibus!

(2) Cf. Suetonii librum de vita Caesarum (*Aug.* 85 sqq.)

gnopere dilectus (1), deinde etiam heres ex asse testamento factus est. Cur non miratus esset Vergilius, quod puerum, magno praeditum ingenio, suum condiscipulum invenisset? Num quis negat quartam eclogam a Vergilio scriptam esse? attamen, quis puer ibi laudetur adhuc ambigitur. (2) *Culicem* autem, cum et puerum cognoscimus et antiquitatis testimonia legimus, Vergilio non referamus?

Num Octavius indignus erat, cui carmen dicaretur? Dignissimus quidem, ut cui avunculus esset Caesar: hic magnam eo anno gloriam adeptus erat rebus praecipue in Gallia gestis; hunc plebs maxime diligebat; hunc fortasse plerique etiam sperabant rerum potiturum esse. Cur, igitur, Vergilius (quem quidem veri simile est hoc idem sperasse) putare non poterat, se, in amicitiam Octavii receptum, vitam victurum, curis solutam? Namque hoc significant, nisi omnia me fallunt, v. 8-10:

> posterius graviore sono tibi musa loquetur
> nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus.(3)

Num Vergilium materia minime decebat? At de hac re infra scriptum est (p. 23 sqq.)

---

(1) Cf. quae tradidit Velleius (II. 59)

(2) Cf. praeter multa, quae diligenter his diebus apud nos disputavit CAROLUS PASCAL (*La questione dell'Ecloga* IV *di Vergilio,* Torino. 1888).

(3) Quod nonnulli putant, « securos » ad pacem orbis terrarum pertinere, id non possum adduci ut credam. (V. etiam LEO p. 28).

III.

1. Iam dixi quibus argumentis *Culex* Vergilio tribui posset, nunc de rationibus latius dicam. Namque contra nostram sententiam minima argumenta, plurimae vero rationes allatae sunt; in quibus nihil umquam firmi, magnam vero fortasse disserendi subtilitatem saepissime invenies. Quas quoniam alii laudant, alii reiciunt, omnes tamen legunt (quod fere semper evenit, si quid adferatur contra vetustissimam quandam sententiam a maioribus acceptam; si quid autem ad hanc sententiam confirmandam, minime evenit), quid de iis rationibus cogitandum sit, videamus.

Earum duo sunt genera, cum alterae ad quaestionem, alterae ad artem pertineant. Pauci sunt, qui rationes prioris generis in hac disputatione adhibuerunt; quarum maximi ponderis ac momenti eae fortasse visae sunt, quas attulit Hildebrandtius. (1)

Cum vero ei persuasum esset, nihil certi se adfirmare potuisse, si tantummodo rem metricam in *Culice* persecutus esset, singulari effecit artificio, ut rationes, quas de re metrica attulit, iis rebus ad artem pertinentibus, quas ipse — nimis subtiliter, ut reor — antea in eodem carmine animadvertisset, omnino niti viderentur.

---

(1) V. librum, quem supra (ad p. 7) nominavimus.

Hoc modo arbitratus est, se posse adfirmare, vix nonaginta sex versus tribuendos esse Vergilio, cuius carmen, *volventibus annis*, mire ac fere supra fidem auctum esse. Idem *Culicem* ita in octo strophas, quas vocant Graeci, duodenum versiculorum distribuit, ut carminis prima et extrema pars vicenis quaternis (12 + 12) versibus constarent, media autem duodequinquagenis (12 + 24 + 12). (1)

---

(1) Hic tantum HILDEBRANDTII conclusionem memoro; plura in eius libro, qui volet, legere poterit (V. p. 90): So stellt sich das Schema dieser bis ins Einzelne ausgeführten Symmetrie wie folgt dar:

Vorgeschichte		Kern der Handlung			Nachgeschichte	
12	+ 12	12	+ 24	+ 12	12	+ 12
Austrieb und Weide	Tränke	Nahen der Schlange	Angriff und Rettung	Tötung der Schlange	Erscheinung der Mücke und Klage	Errichtung des Kenotaphs.

Nos—vix opus est dicere—cum iis doctis maximum honorem tribuimus, qui nihil, nisi omnibus rebus circumspectis, adfirment; tum eos deplorandos existimamus, qui, cum subtiliter disputent, mathematicorum ratione aliquid concludant. Hi enim orationem scriptoris comminuunt, verba tantum animadvertunt, librum plenum delectationis molestissimum efficiunt; dum id, quod sibi propositum sit, inveniant. Itaque saepe in carmine, quae ornandi causa addita sunt a poeta, pulcra quidem et admiranda, ea facillime, si videtur, reiciunt.

Quod attinet ad Hildebrandtianam *συμμετρίαν*, ut vocabulo graeco utar, in nullas esse strophas distribuendos *Culicis* versus, magis credibile mihi videtur, cum, si ii versus, quos strophis devinctos HILDEBRANDTIUS arbitretur, cum reliquis, quos ipse interiectos dicat, comparentur, nihil fere inter hos et illos interesse reperiatur, neque si res metrica, quam quisque videre potest, neque si sententia spectetur, ut alio loco demonstrabimus. V. p. 35 sqq. Quod si negamus versiculos omnes liberos esse et solutos, ut intellegatur quomodo factum sit ut plus quam trecentos versus ne-

Quae omnia vera visa sunt Hildebrandtio, cum is, permultos Vergilianos versiculos persecutus, in sex tantum et nonaginta Culicis versibus praeter caesuram, quam vocant, semper *Denkpause*, id est *intervallum* (cf. Cic. de orat. III. 185.), ut in aliis Vergilii versibus, quos permultos quidem — non omnes tamen—persecutus erat, invenisset. (1).

---

scio quis in hoc carmen interpolaret, id ponere debemus, quod dixerim poni non posse. Nam opus est statuere, eum qui extremam manum *Culici* imposuisset, qui quidem reliquis in rebus certos versus tantum imitatus esset, litterarum monumenta, quae, si non omnes, complures certe non ignorarent, minimi fecisse, neque sibi curae fuisse, ut ea, quae adderet, aequaliter et congruenter iis, quae tradita essent, responderet. Cf. etiam quae subtiliter disputavit ELLISIUS in « *Classical Review* » 1887. p. 275.

Hoc loco non est praetereundum, plerosque doctos (TEUFFELLIUM, GUTLINGIUM, KLOUCEKIUM, SABBADINIUM, STAMPINIUM..,) iis perpaucis non esse adsensos, qui *Bucolica* in strophas distribuenda censuissent. Quod si stropharum conformatio quaedam in iis carminibus reperiri potest, ea tantummodo in cantibus alternis et cantilenis fortasse reperitur. (Cf. HAAG. *De ratione strophica carminum bucolicorum Vergilii.* Berl. 1875. p. 23.) Praeterea, etiam in Germania, nonnullis doctis viris haec coniectura displicuit; siquidem SCHULTZIUS haec sensit (*Wochenschrift für Klassiche Philologie.* 1887. p. 752): » Hier haben wir eine architektonische symmetrie, die wahrlich nichts zu wünschen übrig lässt und jeden Verehrer derartiger Kunststücke entzüken wird. » Ceterum, HILD. ipse in dubio esse videtur, cum quaerit (p. 170): « Ist der *Culex* das einzige uns erhaltene Beispiel so streng durchgeführter, architektonischer Symmetrie ?..... Giebt es noch andere Gedichte, in denen sich eine so *massenhafte* Interpolation breit macht, wie in *Culex* ? »

(1) Hic praetermittere non possumus quin magnopere laudemus hunc doctum virum, qui, aetatem in litteris ducens, plurima

Venio ad *intervallum.*

Si v. 54 consideramus: « *Haec* (capella) *suspensa rapit carpente cacumina morsu* », et hoc modo dividimus « Haec suspensa rapit || carpente cacumina morsu » et post « rapit », praeter caesuram, intervallum quoque invenimus.

Quod si in reliqua versiculi parte, post caesuram, poetae maxima cogitatio reperitur (quod quidem in hexametro Romanorum saepissime evenit), non sequitur ut altera quies quaedam [*intervallum*] hoc loco fiat; namque « carpente » ita arte cum « morsu » coniungitur, ut nec post « carpente » nec post « cacumina » cogitationis quies fieri possit.

Hildebrandtius vero, cui « rapit carpente » (1) maxima videtur versiculi cogitatio, intervallum post « carpente » hoc modo ponit:

Haec suspensa | rapit carpente || cacumina morsu.

Non infitior equidem caesuram et intervallum posse interdum aliud alio loco versiculi esse (2); sed intervallum

---

de re metrica cottidie, ut ita dicam, diligentissime persequatur. Haec sensit ille de hexametro latino: (p. 135.)

« I. Der Hexameter, seiner Ausdehnung nach einem längeren Satze entsprechend, bedarf wie ein solcher logisch der Gliederung. Diese wird bewirkt durch das Intervall. »

« II. Der Hexameter ist ein abgeschlossenes rhythmisches Gebilde und bedarf als solches der Einheit. Die rhythmische Einheit herzustellen ist Aufgabe der Caesur, welche das Auseinanderfallen der einzelnen Füsse verhütet. »

(1) Iniuste is, ut reor, legit « lambente » pro « carpente » quod est in omnibus codicibus.

(2) Rem ita semper se habere, ne HILD. quidem adfirmare ausus est (« Hat in der That jeder römische Hexameter eine logische Pause, das Intervall? » p. 170); quamquam complures versus

plerumque idem esse atque caesuram, neminem puto esse, qui neget.

Longum est hoc loco totum Hildebrandtianum *Culicem*, ut ita dicam, persequi ; quam ob rem prima tantum stropha adferetur, ut hoc appareat : nihil plerumque, ut in versu, quem supra consideravimus, in *Culice* interesse inter caesuram et intervallum.

Propulit e stabulis | ad pabula laeta capellas
Pastor et excelsi montis | iuga summa petivit,
Lurida qua patulos | velabant gramina colles.
Iam silvis dumisque *vacant*, | iam vallibus abdunt
Corpora, iamque omni celeres | e parte vagantes
Scrupea desertas | haerebant ad cava rupes :
Pendula proiectis carpuntur | et arbuta ramis
Densaque virgultis | avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit | *lambente* cacumina morsu
Vel salicis lentae | vel quae nova nascitur alnus,
Haec teneras fruticum | sentes rimatur, at illa (1)
Imminet inrigui | *prostanti marginis undae.*

---

invenerat, ut « Cui non dictus Hylas | puer || et Latonia Delos » (*Georg.* III, 6). Ceterum quod attinet ad intervallum tum minimi est momenti, cum non semper uno eodemque loco haec cogitationis quies inveniri potest. Versiculum enim, quem supra memoravimus, si audiendus est MUELLERIUS (*De re metr. poett. latt.* p. 182 seq.), qui existimavit versus (id est pedis) sectionem semper locutionis sectioni esse anteponendam, nos aliter legimus atque opinatus est HILDEBRANDTIUS : « Cui non dictus Hilas | puer et | Latonia Delos ».

(1) Hic unus ex duodecim versiculis caesuram praebet intervallo dissimilem.

Ceterum fere omnes, qui rem metricam in *Culice* persecuti sunt, in his Baurius (1) Eglius (2) Lederer (3), haud facile inveniri posse dixerunt dissimilitudines cum ceteris Vergilii carminibus (4); immo si audiendus est Lederer, qui dactylos et spondeos, cum in omnibus certis Vergilii carminibus tum etiam in *Culice* et *Ciri*, diligentissime persecutus est, *Culicem* Vergilio omnino tribuere debemus.

2. Nunc de Ellisio (5) dicatur, qui haud disceptavit essetne hoc carmen Vergilio tribuendum necne; sed cum, apud Parthenium (6) miser amoris casus narraretur, qui in Epiro prope Chaoniam et Thesprotiam accidisset, quique similis esset fabulae Agaves Thebanae; cumque poeta in *Culice* de Agave eodem modo loqueretur, eaedemque regiones viderentur illustratae; haec, ut paucis complectar, coniectura assecutus est: esse carmen tribuendum

a) aut Vergilio — qui vel ex graeca sylloge quadam posteriori Parthenianae simili, vel ex ipsa Pharthenii narratione, vel ex alio fonte materiam sumere potuit;

b) aut nescio cui poetae qui, Thesprotiis locis cognitis, vel ad Octavium puerum, Apolloniae versantem, vel ad Octavium, Actiacum victorem, *Culicem* assentandi causa fortasse misit.

---

(1) V. opus, quod supra nominavimus ad p. 9.

(2) *Beitrag zur Erklärung der pseudovergilischen Gedichte* Leipzig, 1896.

(3) *Ist Vergil der Verfasser von « Culex » und « Ciris »*. Wien. 1890.

(4) Nihil dicam de iis, qui singillatim *διαίρεσιν, συναλοιφήν*, hiatum, productionem... persecuti sunt. Hos omnes sapienter exprobravit Hild. (p. 13-17). V. praeterea Leo (p. 16).

(5) A theory of the Culex, in *Classical Review*. 1896 p. 177-183.

(6) *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων*. XXXII. fin.

Quae contra has conclusiones obici possunt, acute demonstravit I. Girius (1) vir latinis litteris doctissimus. Qui quidem ad eorum sententiam potius accessit, qui *Culicem*, cum Vergilio non tribuant, tamen antequam Lucanus Statius Martialis ingenio florerent, scriptum esse putant.

At excelsitas animi et magnitudo illius, quem quidem summum existimamus magistrum, concedat ut aliter sentiamus, et a Vergilio *Culicem* scriptum putemus. Vergilio enim — ut qui Cremonae et Mediolani graecis magistris usus esset, qui Philetae scripta de miseris amoribus, Euphorionis, Apollonii, multorum epica carmina fabularia fortasse cognovisset, quique magno ingenio praeditus natura esset — facile erat fabulas, inferos, Acherunta, Phlegethontem, quamvis numquam Thesprotia loca vidisset (neque fortasse vidit) quasi ante oculos versibus ponere. Quod autem Ellisius attulit, id veri simile tantum, non verum est; neque ullum habemus gravissimum argumentum, quo Cichyrum eiusque δρυμὸν fideliter in *Culice* illustrari, adfirmari possit.

Quid autem de Octavio puero sentiremus iam supra diximus ad p. 13-14. Denique eo magis nostram sententiam tenemus, quod, iis omnibus expensis quae Girius compluribus Ellisianis coniecturis opposuit, illa tantummodo minus gravia invenimus, quae opponi possint, si *Culex* Vergilio adiudicetur.

Quam rem, ne longe abirem, demonstrandam non putavi; si qui tamen velint, videant Girii disputationem, quam supra laudavi.

---

(1) V. *Classical Review*. 1897 p. 1-7. Praeterea « *Rassegna di antichità classica* » *Parte bibliog*. Palermo 1897.

IV.

Restat ut nonnulla de rationibus, quae ad artem pertinent, dicamus.

At de his bene illo Romanorum proverbio praecipitur: quot homines, tot sententiae. Quam ob rem is, qui suum iudicium, idque intellegens subtile elegans, ad hanc disputationem adhibere volet, et perraro cum ceteris consentiet, et a vero fortasse abducetur. Iudicium est enim pulcritudinis iudex (neque tamen iudex semper certus), non arbiter veri: verum spectat tantum ad historiam, ad disserendi rationem et scientiam; neque necesse est semper cum pulcritudine coniunctum inveniatur.

Tamen, nostro quoque iudicio hoc loco nobis uti licebit. Ac primum quidem: nonne Vergilium *Culicis* materia decet?

Constat uniuscuiusque hominis indolem quandam esse, cui non solum animi motus, sed ipsae etiam mentis cogitationes pareant. Hoc sane apparet in iis, qui litteras et artes liberales colunt, praecipue in poetis; qui, cum studiis suis obsequantur, ad haec non solum dicendi genus, verum etiam carminum argumenta naturali quadam vi saepe conformant. Nunc si in *Bucolicis* et *Georgicis* cum argumentum, tum quam magnifice atque, ut ita dicam, divinitus id celebratum sit, considerabimus, fortasse longe a vero non abduce-

mur adfirmantes Vergilium a parvulo agros, silvas, flumina miratum esse; simplicitatem morum, pastorum beatitudem, pulcritudinem gregis vehementer adamasse. Accedit quod Vergilius pueritiam in agris exegit; hos aetate progrediente semper amavit (1)—quandoquidem ibi eum videmus post Idus martias, anno XLIV a. Chr. n.—in hos animum semper intendit, ut praeclaris versibus docuit:

Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas;
Primus idumeas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius et tenera praetexit arundine ripas. (2)

Praeterea si ea, quae Horatius (3) et Donatus (4) de Vergilio nobis tradiderunt, meminerimus; denique si poetae florem aetatis spectabimus, ut quae novis rebus cogitatione depictis, ineptiis, monstris maxime fuerit idonea; hoc praecipue de *Culice* putabimus: tantum abesse, ut in iis rebus aliquid repugnet ne Vergilium habeamus auctorem huius carminis, etiam complura persuadere, ut *Culicem* ipsi tribuamus.

Quid mirum, si argumentum poematis non est maximi

---

(1) *Georg.* II, 198-200; 485-486.

(2) *Georg.* III, 10-15). Vide etiam quae pulcherrima de Vergilio scripsit apud nos CARDUCCIUS (*Per l'inaugurazione di un monumento a Virgilio* in «*Discorsi letterari e storici*»—Bologna, MDCCCLXXXIX: p. 194 sqq.).

(3) Sat. I. V. 39-42; ibd. VI. 54-55; ibd. X. 44-45.

(4) *Vita Verg.* 11.

ponderis ac momenti? Num fuit Vergilius, cum *Culicem* scripsit, grandior factus? Fuerit; at non desunt exempla clarorum poetarum, qui animum in parvas res intenderunt, cum graecae artes virile Romanorum ingenium ad effœminatum quendam languorem inclinaverunt (1).

Praeterea si veri simile est — ut supra demonstravimus—Vergilium misisse carmen ad Octavium, qui tunc vix undecimum annum ageret, ei eligendum fuit argumentum plenum delectationis, quo in amicitiam pueri, quam citissime, reciperetur. Et quisquam dubitabit, quin voluptas ex *Culice* non modo a pueris, sed etiam ab ipsis adulescentibus, percipi possit? (2)

Progrediamur: quid de dispositione rerum cogitandum est? Nemo infitietur, poematis argumentum, scilicet parvum culicem, minime materiam ad ornatum poetae praebere potuisse. Quid igitur videndum fuit Vergilio, nisi ut digressionibus et argumentum augeret et—quod pluris intererat—legentes delectaret?

At nonnulli docti homines—qui quidem *Culicem* Vergilio tribuerunt—cum ea fere omnia, quae a proposito digrediuntur, aliena ab eodem carmine putassent, plurima in eo interiecta dixerunt. Itaque Hild. ab hac ratione profectus, *trecentos et duodeviginti* versus in *Culice* falsos putavit!

---

(1) In iis Ovidius *Halieutica* mediocribus versibus persecutus est. Nec mirum est; nisi forte argumentum putamus versibus aptissimum. Attamen apud Germanos, nullis vero firmis argumentis, de his Ovidianis reliquiis, quas *Halieuticorum* tenemus, ambigunt viri docti (V. praecipue Birtium, l. s.); neque illud Horatii «Quandoque» in memoriam, ut prudentes, revocant.

(2) Equidem, et in ludis et in scholis, hoc potui animadvertere, cum vel legi vel narravi miseram culicis historiam.

Hoc nimis esse violentum, non difficile puto demonstrare. Cur enim, ut exemplo utar, vv. 42-44:

Igneus aethereas iam sol penetrabat in arces
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus et roseis tenebras aurora fugarat,

quibus, post procemium, incipit *Culicis* argumentum, habendi sunt interiecti? Atque est haec temporis designatio in poematis ita cum Vergilio consentanea, ut, si totam *Aeneida* persequamur, complura inveniamus exempla generis eiusdem. Ex iis unum tantum memoro: *Aen.* IV, 6-7:

Postera Phoebea lustrabat lampada terras,
Humentemque aurora polo dimoverat umbram;

in quo Vergilius duo caelestia ita coniungit, ut posterius priori antecedere appareat, cum hoc tempore imperfecto illud plus quam perfecto describat.

Hildebrandtius tamen, qui in v. 42 legit « penetrarat », non esse versiculos 42-44 Vergilio tribuendos censuit (1). At primum omnium, licet « penetrabat » legere, ut est in codice Helmstadiensi, pro « penetrarat » quod fortasse librariis neglegentibus tribuendum est (cf. etiam quae disseruit Leo ad. p. 35-36); ita vv. 42-44 et sententia et locutione simillimi erunt Vergiliano exemplo, quod supra memoravimus.

---

(1) P. 31 « Die Verse « Igneus aethereas iam sol penetrarat in arces et qs. » stammen schwerlich von Vergil wegen der Ungeschicklichkeit, welche *zuerst* das Aufsteigen der Sonne über den Horizont, *dann* erst das Verscheuchen der Finsternis durch Aurora schildert. »

Quod si quis « penetrarat » legere velit, idem exemplum non minoris valebit ut hoc demonstretur : non alienam esse a Vergilio duorum, quae in rerum natura sunt, inversionem (1).

Transgressio autem, quae est in versiculo 44, quaeque Hildebrandtium vehementer offendit, nobis non mira videtur, aut certe hic non magis mira quam in versiculo 52: In quo quidem, cum similem Hild. invenisset trangressionem, tantum afuit ut ea offenderetur, ut eam ipsam velut firmum argumentum adhibuerit, quo Vergilium *Culicis* fuisse auctorem, demonstraret (2).

---

(1) Praeterea, si in iisdem versiculis coniunctiones tantummodo et verborum tempora considerantur, manifesto deprehenditur, poetae sententiam, quod attinet ad verborum quasi structuram, haud aliter hoc loco significari atque in hoc *Georgicorum* loco (IV. 425-427);

Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat, caelo *et* medium sol igneus orbem
Hauserat . . . . .

Hic enim « et » coniunctione duae cogitationes coniunguntur, quarum altera (Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos *Ardebat*) potest cum priore *Culicis* conferri (Igneus aethereas iam sol *penetrabat* in arces Candidaque aurato quatiebat lumina curru), altera (...caelo *et* medium sol igneus orbem-*Hauserat*) omnino posteriori *Culicis* respondet (Crinibus *et* roseis tenebras aurora *fugarat*). Quod potest quodammodo confirmare, *Culicis* versus 42-44 non tantum a genere scribendi Vergiliano discedere, quantum HILD. arbitratus sit; praesertim cum animadvertatur insequentem versiculum carere « cum » coniunctione, ut saepe apud Vergilium ipsum (Cf. *Aen.* II, 801-804; V, 762-3...).

(2) « Zwar hat das Hyperbaton des « et » v. 52 Bedenken erregt, aber grade diese Freiheit spricht für die Verfasserschaft des jungen Vergil, da sie sich an alexandrinische Vorbilder anschliesst. » (p. 48).

Denique quod obiciunt, pastorem in *Culice*, contra quam Vergilius ipse in *Georgicis* praeceperit (III, 324-326 Luciferi primo cum sidere frigida rura Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent Et ros in tenera pecori gratissimus herba) montis iuga summa cum grege, orto iam sole, petere, quare vv. 42 44 Vergilio tribui non posse; id, non magis quam superiores rationes, nos convincit.

Ac primum omnium, si, ut supra diximus « penetrabat » pro « penetrarat » est legendum, *Georgicorum* praeceptum optime convenit cum temporis designatione, quam in *Culice* invenimus. Namque, cum sol incipit in vias caeli ingredi—hoc enim significat imperfectum tempus « penetrabat »—nondum vim habet auferendi roris. Sit « penetrarat » legendum. At certo non meridiem, sed primas diei horas Vergilius describit; siquidem ipse serius versiculo 107 meridiem manifesto indicat:

Iam medias operum partes evectus erat sol.

Ceterum, quo quisque iunior est, eo minus diligens in morum ac vitae imitatione esse solet; quamobrem neque incredibile, neque mirum putamus, poetam aliquando erravisse, priusquam, ita perfecte ut in *Georgicis*, naturam rerum et ipsam veritatem descripsisset. Praeterea in *Geor-*

Ceterum si Hildebr. omnes transgressiones generis eiusdem animadvertisset, non modo in *Bucolicis*, sed etiam in *Georgicis* et *Aeneide*, permultas invenisset, iis omnino consimiles, quae quidem initio possunt in *Culice* audaciores videri. Cfr. ut exemplo utar, *Cul.* 4, 12, 140, 153 cum *Aen.* VI 86, 137, 449, 548, 890. Ita cadit etiam quod Hildedr. in versiculo 12 vehementer exprobravit (p. 32).

gicis, non in *Culice* est haec diligentia quasi repetenda; hic enim res exponuntur fictae, in quibus et poetae « quidlibet audendi semper fuit aequa potestas » et res rusticae tamquam alienae fuerunt; illic praecepta rusticis conscribuntur, in quibus propter hoc ipsum maxima cura poetae semper fuit adhibenda.

Nunc pauca dicam de versibus ipsis, de numero poetice vincto, de verborum ordine, de latini sermonis integritate, denique de genere scribendi. Quae omnia, non minus quam argumentum ipsum, nonnulli docti homines, qui nihil in *Culice* laudare voluerunt, conati sunt denigrare; contra alii hoc maxime existimandum censuerunt, versus esse elegantiores, quam qui rem tam parvi momenti celebrarent; utrique hoc carmen omnino abiudicaverunt Vergilio.

Quod attinet ad rem, iam sperare audemus, rationibus expositis (ad p. 13, 21 sqq.), eam, quamvis parvi momenti, a Vergilio adulescentulo non alienam videri posse; quod ad versus, iam ex recentioribus complures, in his Hertzbergius Eglius Lederer, cum et numerum et caesuram et incessum, ut ita dicam, consentanea cum posterioribus Vergilianis carminibus censuerunt, tum iis versibus maximas tribuerunt laudes.

Quibus in rebus quoniam iis doctis viris omnino adsentimur, ad eorum libros, ne longum fiat, studiosos remittimus.

Qui autem vitiosi et reprehendendi loci saepe in *Culice* reperiuntur, cum vel in verborum ordine, vel in locutionibus a latini sermonis integritate aliquantum distent, eorum maxima pars ut reor, omnino librariis, non poetae sunt tribuendi. Hic satis erit unum exemplum afferre:

366 legitime cessit cui fracta potentia regis.

Ita scribunt, ut scriptum est in omnibus fere codicibus, Baehrensius, Leo, multi alii; cum « facta », quod tantummodo invenitur in *Vaticano*, nullam praebeat sententiam. Si res est antiquissimis codicibus iudicanda, « facta » scribere oportet; sed, quae sit vis vocis « legitime », haud facile intellegitur. Nam quod Leo adfirmavit, « legitime » idem valere atque « iure », id nullo exemplo probavit; neque melius Scaliger « legitimi » Heinsius « finitimi » Ribbeckius « limitibus » restituendum existimantes, sententiam explanaverunt (1).

At nostra memoria Ellisius, codice Corsinio usus — quem Romae inter codices Corsiniae bibliothecae, invenerat — optime hunc obscurum locum illustravit.

Etenim, cum in eo codice ita v. 366 traditum invenisset: « Cui cessit lidithime facta potentia regis », eundem ita restituit: « Cui cessit Lydi timefacta potentia regis », scilicet: Porsenae, Etruscorum regis, quem populum ex fabulis accepimus ortum esse a Lydiis.

---

(1) Quamquam post Hauptium permulti inveniuntur, qui *Culicis* verba hic atque illic explanare atque emendare conati sunt, in his memoria nostra Ellisius, vir singulari labore et industria, permulta tamen etiamnunc manent corrupta; quae quidem his diebus apud Germanos Leo, codice *Bembino* tantummodo usus — reliquis consulto remotis — fortasse satis explanata putavit.

Equidem, cum nec Corsinium — quem primus Ellisius invenit (Cf. *Journal of Philology* 1887) quemque his diebus Romae J. B. Siragusa, doctissimus vir, cum *Bembino* ad meam utilitatem contulit, nec quemlibet *Culicis* codicem inspicere potuissem; cumque nimis intempestive hunc libellum edere debuissem; nolui quicquam experiri. Sed et Corsinium, et reliquos codices inspicere in animo habeo; quod cum fecero, *Culicis* verba pro viribus conabor persequi.

Nos idem sentimus cum Ellisio, nisi quod pro « cui cessit » « cessit cui » legere malimus; quae lectio cum in omnibus codicibus (Corsinio excepto) invenitur, tum est, quae dicitur, difficilior. Nihil mirum si Corsinius codex « cui cessit » habet; nam, cum pronomen relativum fere semper ante verbum inveniretur, nihil magis consentaneum esse poterat quam pro « cessit cui » « cui cessit » scribere.

Denique quid de Vergilianorum carminum imitatione, quam dicunt, cogitandum sit, videamus.

Iam satis constat, cum aliquod carmen a poeta quodam ductum demonstrare velint, nihil nonnullos doctos praetermittere, dummodo quod sibi propositum sit demonstrare possint. Cuius rei permulta exempla inveniantur, si ii libri, qui sunt de litterarum historiis criticis, quos dicunt, evolvantur.

Ita Baurius (1), singulis fere *Culicis* versibus molestissima diligentiae perversitate cum Vergilianis carminibus comparatis, conatus est demonstrare *Culicem* esse nescio cui poetae tribuendum, qui Vergilii carminibus indigne usus esset.

At primum, quoniam plerumque duobus aut pluribus poetis contingit, ut argumenti similitudo interdum eadem verba ab iis postulet, ob id ipsum mirari non licebat, quae essent consimiles locutiones consimilesque cogitationes in *Culice* atque in *Bucolicis* vel *Georgicis*; praesertim cum veri simile esset, ea ab uno eodemque poeta fluxisse.

Deinde cavendum erat, ne in comparationem verba

---

(1) Cf. in *Jahrbücher für Philologie und Pädagogic* '93. « *Ist der uns überlieferte Culex ein Jugengedichte des Vergilius ?* » p. 357 sqq.

proferrentur, specie quidem similia, sed reapse vi et sententia dissimilia.

Praeterea, quae causa est, cur illa tam vituperata consensio inter *Culicem* et reliqua Vergilii carmina idonea ad antiquitatis testimonia confirmanda nullo modo putemus? Atque ego, cum quaedam, Vergilianae orationi fere peculiaria, omnino non deesse in *Culice* animadvertissem, eo maiorem fidem esse veteribus testibus tribuendam existimavi. Reperitur enim in *Culice:*

a) ille Vergilianus *dativus* *δυναμικὸς*, (1) quem dicunt, (cf. vv. 24, 52, 53, 102, 127, 151, 171, 187, 221, 246...);

b) illa *ἐπαναφορά*, qua saepissime usus est Vergilius in omnibus carminibus (cf. vv. 90-91; 124-5; 132-133, 134-135, 217-218; 265-266, 275-276, 295-296, 348-349, 359-360...);

c) notissima transgressio «et» coniunctionis (cf. vv. 4, 12, 23, 37, 44, 52, 140, 153, 391);

d) usus quidam participii futuris (cf. 20, 38, 114; 285 [*auditura*] cui respondet 287 [*ducendam*] ut in *Aen.* IV 308 et 321; 338, 362, 381...); denique, ne longus sim, redundantia illa orationis, quam praecipue in *Aenide* reperimus (vv. 38 et 41, 50 et 54, 157-161, 213-214 et 258-259, 391 et 396).

---

(1) Hunc casum in prioribus sex libris *Aeneidos* diligenter persecutus est apud nos SABBADINIUS. Cf. *Studi critici sull'Eneide*. Lonigo 1889, p. 67 sqq.

Quod ad discrepantiam pertinet inter *Culicis* materiam et artem, animadvertendum est Vergilium institutum esse ab Alexandrinis magistris, quorum esset inflatum aut declamatorium genus. Quod si poeta serius, eorum praeceptis relictis, usus est genere dicendi tam dilucido, tam nudo et recto, ut vix cum Culiciana oratione conferri possit, nihil aliud fecit, nisi quod est virorum clarorum; qui, magno ingenio natura praediti, bonarum artium disciplinis sensim excoluntur, iudicium acuunt, ad summa et in omni genere perfecta et intendunt et perveniunt.

Veri simile igitur nobis videtur, Vergilium adulescentulum, paene ex Alexandrinorum scholis egressum, non solum in vi et notione verborum interdum erravisse aut falsis usum esse locutionibus; sed etiam carmen, argumenti magnitudine carens, versibus nimio labore et arte expolitis, ut ita dicam, induxisse.

Neque praetereundum est, aliquod Vergilii certum carmen, omnino hoc vitio immune non esse; quod, quoniam alii iam perspexerunt, hic non ostendam (1).

Si qui autem (Hauptius, Birtius, Baurius....) *Culicis* genus scribendi longe alienum a Vergilio existimant, omnino non desunt (Scaliger, Naekius, Hildebrandtius....) qui hanc discrepantiam non videant. Hildebrandtio tamen, modo persimilem modo dissimilem a Vergiliana oraione *Culicem* existimanti, non semper adsentimur.

(1) V. CARTAULT. *Étude sur les Bucoliques de Virgile.* (Paris, 1897; p. 47 sqq.).

Quid interest, ut exemplo utar, inter vv. 48-57 (1) et vv. 69-78 (2)? Nonne Vergilium pariter sentimus, sive capellarum sive pastorum mores describuntur?

---

(1) Iam silvis dumisque vagae, iam vallibus abdunt
Corpora, iamque omni celeres e parte vagantes
Tondebant tenero viridantia gramina morsu;
Scrupea desertas haerebant ad cava rupes,
Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur;
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentae vel quae nova nascitur alnus,
Haec teneras fruticum sentes rimatur, at illa
Imminet in rivi, praestantis imaginis, undam.

(2) Saepe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cum tellus, gemmantis picta per herbas,
Vere notat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum, calamo laetum recinente palustri
Otiaque invidia degentem et fraude remota
Pollentemque sibi viridi cum palmite lucens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.....

V.

Antequam illud « manum de tabula » dicimus, supervacaneum nobis non videtur hoc loco ostendere, totum carmen, praeter versus 25-36, uni esse poetae tribuendum, etiam quod attinet ad rem, scilicet veri simile non esse ut plurimae interpolationes tempore progrediente in *Culice* factae sint.

Vv. 1-41.

Primus Heynius, cum nimis longum hoc exordium existimavisset, vv. 12, 4-7, 9-23, 33 interiectos dixerat; deinde Hildebrandtius, cum in iisdem versibus duo exordia, eaque inter se repugnantia vidisset, eos omnes reiciendos censuit.

Ego vero ut non infitior longum esse exordium, sic ab his doctis discedo, cum idem alienum a Vergilio existimant, nisi forte ea repudianda sunt, quae inveniuntur in *Buc.* VIII 1 13, *Georg.* I 1-42, III 1-48.

Quod autem attinet ad nimiam poetae modestiam, quae in decem prioribus versiculis apparet (1-10), duo Vergilii loci conferendi sunt (*Buc.* VI 1-8, VIII 6-13); in quibus, non aliter atque in *Culice*, poeta negat se esse idoneum ad maiora canenda. Neque quod Hildebr. obicit, duplex non unum esse exordium in vv. 1-41, maioris momenti nobis videtur.

Namque versus 11-19 (... Phoebus *erit* nostri... carminis auctor...) versibus 8-10 optime respondent; ubi, cum pollicitus esset poeta, se, in amicitiam Octavii receptum, serius (*posterius... loquetur*) meliores versus facturum, iam Apollinem (*graviore sono*) quodammodo designat, auctorem posteriorum carminum. Nunc tantum Naides orat, ut, dum ipse agrestem Musam culturus sit, celebrent *deum ludente chorea*; Palem autem invocat (20-23), id quod Vergilius facere solitus est (cf. *Georg.* III 1, 294...), ut ipse pastorum virtutes recte possit canere; denique Octavio, quem sanctum puerum appellat, bona optat omnia, non solum per totam vitam, sed etiam post mortem apud Elysium (24, 37-41).

Quod obicit Hildebr., illas « sancte », « sede pia » locutiones esse Christianas, ob id ipsum hos versus non posse tribui Vergilio, id satis grave mihi non videtur.

Iam Hild. ipse (p. 33-34) concedit complura inveniri exempla apud veteres Romanos scriptores, quae pro « sancte » apposito dicant; sed hoc praecise negat *piam sedem* fuisse apud Elysium Romanorum, in qua optimi homines beata vita fruerentur (1).

Nemo dubitat quin antiquissimis temporibus nihil apud Tartara interfuerit inter praemio et poena affectos homines, scilicet inter malam et piam sedem, ut recentiores dicunt; sed apud Homerum (*Od.* IV. 563 sqq) Elysium non infernis locis additum, sed in extremis terrae partibus citra Oceanum positum iam invenimus.

---

(1) Unser Dichter stellt ihm nur einen Platz am Wohnsitze der Frommen in Aussicht..., d. h. im Elysium, in das ja auch die übrigen Heroen kommen, und das ist christliche Anschauung. (p. 32).

Serius vero Elysium cum Tartaro coniunctum est; non ita tamen ut nihil inter primum et secundum interesset, sed ut alter, qui sceleratorum esset sedes ac regio, alteri opponeretur, quod bonorum piorumque umbris domicilium praeberet.

Quod cum iam factum esset Vergilii temporibus (1), nihil mirandum erat quod in *Culice* de « pia sede » esset mentio.

Sed redeamus ad versus 11-19. Hos Hildebrandtius, non solum quod alterum exordium significarent, sed magis etiam quod versibus 4-8 *Aetnae* poematis essent similes, adulterinos existimavit; neque vidit, versus *Aetnae* ab his, quam hos ab illis fluxisse magis esse veri simile.

Quod plane erit perspicuum, si cum alteris alteros comparabimus.

Cul. 11-19.

Latonae magnique Iovis decus aurea proles,
Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor
et recinente lyra fautor, sive educat illum
Arna Chimaereo Xanthi perfusa liquore,
seu decus Asteriae seu qua Parnasia rupes
hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, et celebrate deum ludente chorea.

---

(1) Cf. SABBADINI — *Studi critici*, quae supra memoravi, p. 79 sqq.

Aet. 4-8 (1).

....dexter venias mihi, carminis auctor,
seu te Xanthos habet seu Delos gratior illa
sive tibi Rhodos est potior; tecumque faventes
in nova Pierio properent a fonte sorores
rura: per insolitum Phoebo duce tutius itur.

Nonne enim apparet in *Aetna* ineptus poeta, qui, cum exemplum sequi conetur, alia fideliter exscribat (*carminis auctor*) alia prave imitetur (*seu te Xanthos habet*)? Nonne offendimur asperitate *Aetnae* versuum 4, 6, 8, ubi verba bisyllaba, quasi totidem singulti, numerum infringunt, praesertim si cum his *Culicis* versus comparemus, in quibus omnia verba ad sonum exquisita invenimus? Neque praetereundum est, corruptissimos esse hos versus in omnibus codicibus, siquidem, ut exemplo utar, vv. 5-6 ita scriptos invenimus:

Seu te cynthus habet, seu Delos gracior illa,
Seu tibi dodona est.....

Sed nunc aliquid dicam de versibus 25-36, qui, multis de causis, adulterini mihi videntur. Quomodo enim Vergilius adulescentulus, cum hoc carmen ad Octavium puerum mittere vellet, eum appellaverit venerandum, minime intellegimus. Neque melius videmus quae causa sit, cur ipse neget se neque fabulas neque facta versibus persecuturum, cum antea (vv. 1-7) poematis argumentum iam in exordio declaraverit. Praeterea audacissima transgressio « non »

(1) Cf. Bährens — Poetae latini minores p. 88.

adverbii, quae est in versibus 26 et 30; mirus ille verborum ordo, qui vehementer offendit in versiculis 28 (Giganteo sparsa est quae sanguine tellus) et 31-32 (Non perfossus Athos nec magno vincula ponto Iacta meo quaerent iam sera volumine famam); haec, cum in reliquis versibus iam non inveniantur, veri simile est ab alio poeta, ut ita dicam, fluxisse, qui suam doctrinam ostendere voluisset. Atque, cum in *Aetna* antequam argumentum incipiat, eodem fere modo atque in *Culice* complura carmina memorentur, in quibus fabulas persecuti sint poetae (cf. vv. 41-sqq.), hoc maxime suspicor (quid autem aliud licet nisi suspicari?): *Culicis* versus 25-36 ab eo ipso poeta interiectos esse, qui *Aetnae* esset auctor, quique, cum fortasse ignoraret quo anno Vergilius *Culicem* scripsisset, Octavium venerandum posset appellare.

Ita facile intellegitur illud « venerande » de quo etiamnunc docti homines magnopere disceptant inter se.

Vv. 42-57.

His versibus incipit narratio, quae ita est perfecta et iucunda, ut nihil in ea exprobari possit. Quam arcte enim vv. 42-44, quibus fit temporis designatio, cum insequentibus versiculis coniungantur, satis ostendisse videor (cfr. pag. 25 sqq.); hic etiam dicam quibus rationibus versiculus 50, qui falsus habetur aut corruptus, mea quidem sententia exprobrari non possit.

Duo enim sunt, quae tantopere in hoc versiculo doctis displiceant: et illud « viridantia gramina » nihil attinens, ut Hauptius arbitratur, ad « lurida... gramina » versiculi 47, et illud « tondebant tenero... morsu » non capris, sed ovibus tantummodo, iudicio Hildebrandtii, conveniens.

Sed liceat nonnulla iis doctis opponere. Quae sunt verba poematis?

propulit e stabulis ad pabula laeta capellas
pastor et excelsi montis iuga summa petivit,
lurida qua patulos velabant gramina colles.
iam silvis dumisque vagae, iam vallibus abdunt
corpora, iamque omni celeres e parte vagantes
tondebant tenero viridantia gramina morsu.

Num intellegendum est, cum pabula dicantur *laeta*, viridantium graminum mentionem esse repugnantem?

Quod autem attinet ad « lurida... gramina », scilicet ad ea « qualia in summis montium iugis sole torrida conspiciuntur » (1), poeta manifesto dicit ad ea non iam capellas, sed ipsum pastorem perrexisse. Neque vero inconsulte.

Namque omnes pastores, cum capras vel capellas pastum agunt in montes, semper antecedunt apertioribus locis pergentes, ut et coniectus vitent lapidum ab altis montibus resilientium (mos est enim capellarum in montibus, ut modo huc modo illuc circumsiliant), et totum gregem sub oculis tenere possint.

Quare pastor huius poematis, solus « excelsi montis iuga summa petivit » (quod etiam confirmant vv. 48 sqq, quandoquidem nec silvae nec valles in summis montibus reperiuntur); capellae autem, ubi primum viridantia gramina invenerunt, huc atque illuc dilapsae sunt, ut iis vescerentur.

Ne sit hoc verum; num omnes herbae, quae in natura sunt, pariter virescunt? Immo naturae historia docet earum,

---

(1) Leo p. 36.

alias esse annuas, alias diuturnas; has sub solis radiis diutius virescere, illas facilius flavescere ac torreri.

Quamobrem, ut doctis adsentior existimantibus torridas herbas facilius in montibus reperiri, ita ab iis longe discedo, cum negant *Culicis* poetam viriditatis mentionem facere potiusse; nisi forte ubi salix et alnus procreantur (v. 55), ubi non est penuria aquarum (vv. 57, 105), virentes herbae omnino deesse possunt.

Quid plura, si versibus 106, 109 ipse poeta etiam loquitur de viriditate?

At aliud quoque obiecerunt. Quomodo, montanae caprae, ut quae cibum tantummodo decerpant, in *Culice* herbas tondent tenero morsu? Hoc certe non dixit Vergilius; qui, quoniam semper naturam rerum et ipsam veritatem descripsit, hoc ovibus, non capris tribuisset. Haec Hildebrandtii fere.

Equidem, quoniam capellas, non capras, poeta describit, (cf. vv. 45, 76, 104, 154), quae causa sit, cur illud « tenero morsu » omnino falsum existimetur, haud facile intellego. Neque magis adsentior Hildebrandtio, cum is vocem tondendi idem significare atque caedendi vel radendi voces arbitratur (p. 45); siquidem apud Vergilium « tondere » alia plura significat (cf. [praeter *Georg.* I, 15; IV, 137; *Aen.* III, 538, quos quidem locos Hildebrandtius iam memoravit] etiam *Aen.* VI, 598: immortale iecur tondens (*vultur*); *Aen.* V, 556: tonsa corona).

Ceterum saepe caprae, praesertim cum in terris herbarum non sit magna copia — hoc et ipse vidi et plurimi pastores mihi confirmaverunt — non aliter ac oves pascuntur; neque firmum est argumentum, quo sit de v. 50 dubitandum.

Vv. 58-97.

Ii, qui *Culicem* Vergilio adiudicant, alii aliis nixi rationibus, hos versus adulterinos putant.

Sunt enim qui videant in iis permultas imitationes, cum praeclaros *Georgicorum* (II, 458-474) et Lucretii (II, 23-26) versus meminerint; sunt qui putent veri simile non esse, ut poeta tam longe ab argumento sit digressus in pastorum laudibus canendis; sunt denique qui, cum magnas arbitrentur esse curas, quae in capris pascendis poni debeant, omnino pugnantia reperiant ea quae de pastorum beatitudine in *Culice* dicantur.

Equidem quod ad imitationem attinet, si *Culicis* et *Georgicorum* versus comparo, quae causa sit, cur utrosque Vergilio non tribuam, omnino non video. Nonne veri simile est ut, quae poeta admodum adulescentulus, granditate quadam verborum usus, quadraginta versibus dixisset, eadem, grandior factus, sim. licius atque elegantius septemdecim dicere potuerit? Sed ne in re nota et pervulgata multus sim, ad illud venio, quod de Lucretianis imitationibus recentiores cogitaverunt.

Hoc quidem initio firmum argumentum videtur, quo adulteratio nullo modo possit impugnari; sed idem, si anantiquitatis testimonia diligenter persecuti erimus, haud facile maximi erit momenti.

Constat enim M. Tullium Ciceronem, anno LIV a. Chr. n., haec scripsisse Quinto fratri (2, 9, 3): *Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt:* etqs.

Sitne his verbis cogitandum, Lucretium eo anno esse mortuum necne, non nostrum est demonstrare.

Sed, quoniam satis non constat, utrum Quintus an Tullius Lucretianorum carminum fuerit emendator, veri simile mihi videtur, Tullium et Quintum potuisse Lucretii

carmina legere in exemplaribus ex iis ductis, quae poeta vivus, ut etiam tum mos erat, suis amicis legenda tradidisset.

Cur mirum est etiam Vergilium, aliquod Lucretianum exemplar invenisse et imitatum esse? praesertim cum animadvertatur, quod ad imitationem attinet, quam multa ipse a Lucretio sumpserit etiam in posterioribus carminibus (1).

Nunc ad illud venio, quod de pastorum curis in capras Hildebrandtius cogitavit. Qui cum testimonium protulisset pastoris cuiusdam (p. 49) miseram Baeticorum pastorum vitam narrantis, invenissetque in *Georgicis* nonnullos versus (III, 322 sqq.), quibus Vergilius ostendisset quae curae in capris alendis pastores ponere deberent, risit, quod in *Culice* ruris laudes canerentur, censuitque versus 58-92 nullo modo esse Vergilio adiudicandos.

Sed is certe non vidit, quid Vergilius ipse sensisset de capris (*Georg.* III 316 sqq):

Atque ipsa, memores redeunt in tecta suosque
ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
quo minus est illis curae mortalis egestas,
avertes.....

neque diffisus est de pastore, suae ipsius vitae miseriam querente; et tamen non ignorabat illud Vergilianum: O

(1) Cf. *Gell.* I, 21, 7: « non verba sola sed versus prope totos et locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse Vergilium videmus ».

fortunatos nimium, *sua si bona norint* — Agricolas! Quod cum poeta una cum reliquis agricolarum voluptatibus, postquam eorum ingentes curas persecutus esset, animadvertisset, noluit certe — quod quidem Hild. in *Culice* intellegendum censuit — agricolas semper frui voluptatibus adfirmare.

Sed, ut ad Culicem redeamus, cur mirandum erat quod poeta, post suavissimam illam capellarum descriptionem in monte pascentium, pastoris condicioni tamquam invidens, pastorum omnium beatitudinem suis versibus persecutus esset?

Nemo est enim sua sorte contentus; neque fortasse fuit Vergilius, qui, ex agris Mantuanis vix, ut ita dicam, reversus, frequentissima in urbe diversam vitam agere inciperet.

Vv. 98-162.

Ut illa omittam, quae apud nos nimis temere, ut reor, animadvertit Scaliger, horum versuum ordinem longe alio modo restituendum ratus, hoc loco tantummodo ostendam qua sententia vv. 98-103 recte cum antecedentibus coniungantur. Laudaverat antea poeta voluptates omnes, quibus homines frui possent ruri, beatumque pastorem appellaverat qui *aemulus Ascraeo poetae*, traduceret securam vitam. Nunc « talibus in studiis, ait (scilicet non aliter ac pastor iste, quem nuper laudavi) » baculo dum nixus apricas — Pastor agit curas (hoc loco vero redundantia illa orationis reperitur, quam a Vergilio non esse alienam supra diximus in p. 34), et dum non arte canora compacta solitum modulatur harundine carmen (pastorem enim *calamo recinente palustri* (v. 72) aemulum *Ascraeo poetae* (v. 96) antea descripserat), tendit invectus radios Hyperionis ardor » etqs. Quid est, igitur, quod nos offendat in his versiculis?

Nihil sane, ut reor. At Ribbeckius, cum illud « talibus in studiis » non ad pastorem, sed ad capras pertinens existimasset (1), vv. 98-103 post 57 traiciendos censuit. Quod, cum in nullis libris sit eiusmodi perturbationis indicium, nobis omnino non probatur.

Itaque, ut Hildebrandtium quoque exprobramus, qui de versibus 98-103 idem senserit cum Ribbeckio — non ita tamen ut huius audacissimam traiectionem probaret, sed ut vv. 58-97, poematis sententiam iudicio eius involventes, existimaret adulterinos — sic argumentum invenimus, quo iidem versus 58-97 Vergilio adiudicemus.

Sed haec hactenus; nunc ad narrationem redeamus. Iam inflexerat sol cursum ad meridiem, et pastor capellas, ad aquam antea ductas, « *cogebat* in umbras ». Quas « ut procul aspexit luco residere virenti », « mitem concepit proiectus membra soporem ».

Hic plerique docti, cum v. 109, quod attinet ad grammaticam, non satis arte cum v. 154 coniungatur (versibus enim 110-153 lucus tantummodo diligenter describitur) et versiculum nulla de codicibus habita ratione emendaverunt (2), et totam luci descriptionem repudiaverunt. Et tamen non desunt exempla apud Vergilium, in quibus et *ἀνακόλουθον*, quod dicunt grammatici — idque vel digressione quadam inter duas sententias interposita (*Georg.* IV 67-70) vel nulla interposita digressione (*Aen.* VI 498-499) (3); et digressiones non aliter longae atque in *Culice* invenian-

---

(1) Cf. *Rheinisches Museum für Philologie.* 1863, p. 102.

(2) Baehrensius: Nec procul ipse exit luco residere virenti; Hildebrandtius: Haut procul ipse exit luco residere virenti.

(3) Cf. Sabbadini: *Studi critici* p. 52.

tur (*Georg.* I, 466-514, II 458-511 ; III, 242-283). Quare neque versiculum 109 restituendum, neque luci descriptionem reiciendam esse existimo.

Vv. 163-201.

His versibus « immanis vario maculatus corpore serpens » describitur ; qui, dum pastori dormienti insidiatur, sibi ipsi comparat mortem.

Eum enim culex quidam aspicit, qui pastorem « mortem vitare monet per acumina ». Pastor tamen « *prosilit* furibundus et illum — Obtritum morti mittit »; deinde serpentem conspicatur et interficit; « quem postquam *videt* caesum languescere, *sedet* ».

Quoniam omnes consentiunt, praecipuam hanc esse poematis partem, latius de his versibus non dicam.

Vv. 202-384.

Iamque advesperascit, « cum grege compulso pastor duplicantibus umbris—Vadit et in fessos requiem dare comparat artus ». « Effigies ad eum culicis devenit », qui, ut sepulcrum possit impetrare, narrat quos cruciatus apud inferos et oculis videat et ipse patiatur.

Hae fere sunt versiculorum sententiae ; quid magis consentaneum ?

At Hildebrandtius, cum non idem sensisset, complures interpolationes in *Culice* invenit. Equidem, quid sit, cur somnium pastoris is in *Culice* suo incluserit, narrationem culicis de itinere ad inferos reiecerit, nullo modo intellegere possum. Praesertim cum is adfirmet, octo strophas, in quas ipse hoc carmen restituerit, Donatianae narrationi tamquam ad litteram respondere (p. 84 sq.).

Haec enim sunt apud Donatum : « *Pastor fatigatus aestu, cum sub arbore obdormisset et serpens ad illum proreperet, e palude culex provolavit, atque inter duo tempora*

aculeum fixit pastori. at ille continuo culicem contrivit et visum serpentem interemit, sepulcrum culici statuit ac distichon fecit: Parve culex, etqs. ». De pastoris somnio ne unum quidem verbum.

Haud ambigam sitne pastoris somnium maxima poematis cogitatio, necne (mirum quantum de hac re viri docti inter se disceptant, cum descensum ad inferos alteri [Teuffelius] partem carminis peaecipuam dicant, alteri [Baurius] et descensum et preces ipsas, quibus culex sibi sepulcrum roget, omnino noxia argumento existiment); sed de Donati praetermissione haec sentio: aut totum somnium, id est et preces et descensum, aut de eo nihil omnino nobis tribuendum esse Vergilio.

Quod obicit Hildebr., ex Martialis versiculo, « qui modo vix culicem *fleverat* ore rudi », preces tantummodo apparere, id non possum adduci ut credam. Quin etiam — si veri simile est id, quod Hildebr. ipse, sibi contra dicens, de Donatiana brevitate (1) coniectura assecutus est — magis consentaneum puto Martialis vocem flendi haec significare: descensum ad Tartarum eiusque immanes poenas a *Culice* flebili voce esse narrata, quo facilius pastoris pietatem in se excitaret.

Leo tamen (p. 71-72), cum pastor sepulcrum post

(1) Donat, dem es auf Kürze ankam, durfte diese Einzelheit um so eher unbeachtet lassen, als der Kern der Handlung auch ohne diesen Zug hinreichend gekennzeichnet war (p. 85). Quod attinet ad Donati praetermissionem, duobus causis haec mihi orta videtur: aut quod Donatus narrationis Suetonianae summam fecerit, aut quod ipsi, Vergilii vita amplissime exposita maximisque operibus diligenter expensis, plura de *Culice*, sicut de carmine parvi momenti, dicere supervacaneum visum sit.

somnium statuisset, neque hoc culex ex interfectore manifesto petiisset, in hanc sententiam se adduxit, ut inferorum descriptionem « poetam Romanum argumento inseruisse, multa doctrinae supellectile undique congesta » putaret. Quo labore obrutus, ut ait Leo, rem principalem adferre oblitus est.

Quod nemini fortasse probabitur, qui illud « existat par officium », quibus verbis culex ingratum pastoris animum reprehendit, cum versiculis 414-5 comparaverit:

Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

Nisi forte quae verba culicis monumento pastor inscripsit, ea nullo modo videntur versiculo 231 posse respondere. Ceterum, cum veri simile sit — ut hoc ipso loco ostendam — *Culicis* poetam Homericam inferorum descriptionem imitatum esse, Elpenorisque verba culicis sint similia (cf. *Cul.* 230-231 *modo sit grata voluntas*, Existat *par* officium... cum *Od.* XI. 71-73: *ἔνθα σ' ἔπειτα, ἄναξ, κέλομαι μνήσασθαι ἐμεῖο. Μή μ' ἄκλαυτον ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν Νοσφισθείς,.....*) poterat poeta sepulcri mentionem supervacaneam fortasse putare. Nunc quid de Homeri imitatione cogitandum sit videamus. Si inferorum descriptiones, quae sunt in *Odyssea* in *Culice* in *Aeneide*, inter se comparantur, *Culicem* propius ad *Odysseam* quam ad *Aeneida* accedere reperitur.

Namque apud Homerum (568) non aliter atque in *Culicis* auctore (374) Minoem videmus Tartarorum iudicem, ubi Aloidae Tityus Tantalus Sisyphus notissimis suppliciis excruciantur (*Od.* 568-600, *Cul.* 231-257, 372-378); apud utrumque poetam in Elysio clarissimae mulieres a Proser-

pina compelluntur (*Od.* 226, *Cul.* 261), heroes cum nullis infernis diis comitantur (*Od.* 387-567, *Cul.* 295-371). Praeterea si nonnulli loci utriusque poetae comparantur (*Cul.* 230-1, *Od.* 71-3; *Cul.* 231-2, *Od.* 14-15; *Cul.* 234-6, *Od.* 307-sqq.; *Cul.* 237-8, *Od.* 576-9; *Cul.* 240-2, *Od.* 582-6; *Cul.* 243-4, *Od.* 593-4) ex his nonne Vergilius adulescentulus apparet, qui Homeri studiosissimus, ut serius *Aeneide* ostendit, cum arte etiam tunc caruisset, qua optimi scriptores aliquod exemplar quidem imitantes novum opus perfectum perficerent, Homerum nimis fideliter imitatus sit? Quod si Culiciana narratio, quae ad Eurydicen attinet, clarissimis Georgicorum versibus (IV, 453-527) haud dissimilis videtur, nullo modo, ut reor, mirandum est.

Vergilium enim finxerat ipsa natura ad id genus, quo perturbantur animi et concitantur; itaque praeter cetera ea in *Culice* probantur, in quibus sensus animi motusque dominantur. Denique quod attinet ad heroum descriptionem (vv. 295-371) in qua tamquam epicum scribendi genus poeta persecutum apparet, neque poetae aetas obliviscenda est, ut quae varia litterarum genera experiri conetur, neque verba ipsius poetae (*Buc.* VI. 3-5):

Prima Syracosio dignata est ludere versu
nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
vellit et admonuit: « Pastorem, Tityre, pingues
pascere oportet oves, deductum dicere carmen ».

Invenit quidem poeta, grandior factus, quod genus sibi maxime esset idoneum, scripsitque poema, quo nullum est in Romanis litteris perfectius opus. Neque inferorum descriptio, quae in *Aeneide* invenitur, cum Culiciana conferri

licet. Vergilius enim, cum ad summa et in omni generi perfecta pervenisset, Homerum, quem quidem magistrum saepissime secutus est, noluit tamen fideliter semper imitari; quare inferna loca ita descripsit, ut in iis praecepta philosophiae eius aetatis cum vetustissima fide coniuncta viderentur.

Idem Averna in quattuor partes distribuit; quarum unam Minos incolit, custos eorum qui praematura morte absumpti sint; secundam, id est Tartara, Rhadamantus, qui Aloidas, Tityum, Ixiona omnesque sceleratos homines severe iudicat; tertiam Orpheus una cum clarissimis heroibus; quartam ii, quorum animae post diuturnam quandam expiationem, in terram sint rediturae.

Tamen, ut diversissima est distributio, ita et homines et cruciatus omnimo simillimi (1), nisi quod in heroum

(1) Hoc loco liceat nonnulla adiungere iis permultis, quae de versiculo 602 (*Aen.* VI) docti homines cogitaverunt. Si, ut mihi persuasum est, Vergilius adulescentulus *Culicem* scripsit, quem habemus; quoniam et in *Culice* et in *Aeneide* Homerica inferorum descriptione tamquam exemplari poetam usum esse apparet; veri simile est *Aeneidos* versus 602-607 non ad « Ixiona Pirithoumque » sed ad Tantalum pertinere. Namque, ut apud Homerum (576-600) invenitur (ne displiceat haec repetitio) Tityus, cui duo vultures iecur corrodunt; Tantalus, siti excruciatus, cuius manus pulcherrimi quidem fructus effugiunt; Sisyphus, qui ingens saxum in summum montem revolvere conatur; ita et in *Culice* (237-244) Tityus « iacet alitis esca », Tantalus « gutturis arenti... sensu » excruciatur, Sisyphus « saxum... adverso... monte revolvit », et in *Aeneide* (595-617) Tityus, cui « immanis voltur... immortale iecur » rostro tondet, Tantalus (nisi omnia me fallunt) quem « furiarum maxima... prohibet contingere mensas », Sisyphus, qui « saxum ingens volvit » haud longe aliter memorantur. Sed mitto hoc: illud quaero sitne veri simile (namque « quos super » versiculi 602 ad Ixiona Piri-

mentione complures viri inveniantur, quos poeta, ut Iuliam gentem in maius extolleret, recte ac merito celebravit.

Vv. 385-414.

Pastor somno solutus monumentum culici erigit, permultis floribus exornat, posteritati tradit duobus versibus inscriptis.

Horum versuum, quibus poema finitur, complures, praecipue 398-410, id est florum enumeratio, adulterini habiti sunt. Equidem, ne longus sim, memorabo tantummodo volumen octavum et ultimum eius editionis, quam de omnibus Vergilii operibus diligenter recensuit et emendavit N. E. Lemaire. Ubi cum omnes plantae apud Vergilium memoratae inveniantur, non raro Vergilium complurium florum mentionem uno eodemque loco fecisse satis apparet.

Ut eorum quae diximus summam faciamus, cum de singulis *Culicis* partibus alias aliis bene, sententia nostra, respondere, nonnulla tantummodo in versibus 25-36 a reliquis dissona esse putavissemus, hos versus adulterinos

---

thoumque nonnulli viri docti pertinere existimant) Vergilium, quem non infitior vetustissimas fabulas libertate quadam saepe persecutum esse, ad eam audaciam pervenisse ut Tantali poenam, quae in proverbii consuetudinem venerat, Ixioni Pirithooque tribueret, praesertim cum nullum sit dubium quin ipse Ixionis poenam versiculo 616 (« saxum ingens volvunt alii ») manifesto memoret (cfr. *Georg.* III 38-39; IV 484). Quae cum SABBADINIUS iam pridem animadvertisset, coniecturam proponens non omnino improbabilem (« quoive per atra » cf. *Studi critici* p. 23-24) quae causa sit cur ipse in illa *Aeneidos* editione, quam apud Loescherium anno M.DCCC.XCVIII. protulit, de sua sententia decesserit (p. XXXVI) omnino non video.

diximus, uni eidemque poetae reliquum carmen tribuimus. Quod, cum et antiquitatis testimonia ad confirmandum multum valerent, et doctorum argumenta ad impugnandum nobis minime idonea viderentur, veri simile esse existimavimus Vergilium ipsum scripsisse.